



**P**Robus è Syrmio Pannoniæ urbe in cõfinibus  
 Illyrii oriundus, patre Maximo Tribuno & ma-  
 tre Claudia. Is adeò uirtutib. excreuit, ut Romano-  
 rum castra sequens imberbis adhuc Valleriani Cæ-  
 saris iudicio tribunatum adeptus fuerit. Inde bello  
 Sarmatico Danubium transiuit, & multa fortiter a-  
 gendo Valerium Flaccũ e manu Quadorum libera-  
 uit. Vnde illi Ciuica corona data, & pro concione  
 laudatus fuit. accepit insuper dono hastas puras; co-  
 ronas uallares, uexilla, torquem aureum, & pateras  
 ob res præclarè gestas. Postea Aurelianus illi Decu-  
 manos exercitus tanquã fortissimo tradidit, ut illi  
 (si quid sibi aduersi contingeret) Probum principẽ  
 facerẽt. Tacitus etiam fertur in Senatu dixisse, cum ei Imperiũ offerretur, illud  
 Probo deberi. huic etiã Orientis ducatũ & Consulatũ ipsum pmissit. Militibus  
 uerò ita acceptus fuit, ut ab eis unicè amaretur. cū. n. prædã inter eos diuideret,  
 præter tela & arma sibi nihil reseruabat. quod si etiã Aurelianus delictũ aliqd  
 grauius punire statuisset, eum à crudeli sæuitia abduxit. Bello Alanico, quũ e-  
 quus ex hoste mirẽ pnicitatis captus esset, atq; oẽs illũ extra sortẽ Probo desti-  
 narẽt, recusasse dicit, testatus perniciosissimũ equũ fugacissimo militi cõuenire.